

P R Æ F A T I O.

rent. Neque ego olim, cùm primùm ad hanc linguam pernoscendam animum applicui, plura requiri arbitrabar: Sed postquam ejus docendæ provincia mihi cessit, ratio nonnunquam à me postulata fuit, ad quam ipsa quoque exempla, confirmandis præceptionibus allata, exigerentur: Quod discipulorum postulatum ad regulas rationesque penitus indagandas me invitavit. Profiteor autem ingenuè, mihi hic accidisse, quod R. Chaninam de se testatum ferunt *Taanith* f. 7. 1. הרבה למדתי מרבותי ומתלמידי יותר: *Multa didici à præceptoribus meis, sed à discipulis meis plura, quàm ab illis omnibus.* Nam dum isti in causas variè inquirunt, atque ego eas, prout occasio ferebat, suggero, natæ sunt mihi sub manu quædam annotatiunculæ, ad interpretationem canonum Grammaticorum

) (5

ticorum